# ANGELI BOLOGNINI DE CVRA VLCERVM EXTERIORVM LIBER I.

*Curatio ulcerum in quibus cõsistat.* Caput I.

Hirurgia artis medicæ sui antiquitate & certitudine pars famosissima, plures habet particulas, quarum una est ulcerum exteriorum curatio, de qua in hoc libello agere intendimus. Curatio autẽ ulcerum in duobus maxime cõsistit, in cognitione uidelicet eorum quæ consolidationem impediunt, & eorum impedientium remotione: quo fit, ut hic libellus in duas partiatur partes: pars una consistit in cognoscendo impedientia, altera in eorum remotione: prima quidẽ theorica est, contemplatur enim ea quæ impediunt, uidelicet quæ, & quot sint, ad hæc quomodo noceant, similiter quo modo cognoscantur. Secunda uero pars practica, medicamina tam generaliter quàm singulariter administrare docet: his enim scitis propositã habebimus intentionem ad amicorũ nostrorum satisfactionem qui me sæpe ad hoc impulerunt.

*Consolidationem ulcerum quæ impediant.* Caput II.

Dicimus igitur quod ea quæ consolidationẽ impediunt, aut se tenent ex parte ulceris, aut ex parte annexorum cum ulcere. Si ex parte ulceris, cum ulcus communiter describatur quod est solutio cõtinui, à qua resudat pus & sanies: aut ergo hoc impediens se tenebit ex parte solutionis continuitatis, aut saniei. Si ex parte solutionis cõtinuitatis, uel erit merito figuræ solutionis continuitatis fistularis, uel alterius figuræ fistulari proportionatæ. Si ex parte saniei, aut merito substantiæ, aut suæ qualitatis. Si merito substantiæ, aut quia subtilis, fluida, aut quia grossa, uiscosa. Si merito suæ qualitatis, aut quia acuta & corrodens per se, & essentialiter, aut quia per accidẽs. & hæc de his quæ ex parte ulceris consolidationem impediunt, quæ duo fuere, uidelicet

*Vlcus quid.*

delicet figura & ſanies: figura inquam, uel figura fiſtularis, uel alia: ſanies, uel groſſa, uel ſubtilis, aut acuta, & corrodens per ſe, aut per accidens. Impedientia autem ex parte annexorũ, aut ſe tenent ex parte eorum quæ immediate contraria ſunt cauſis ad conſolidationem facientibus, aut ex parte eorum quæ contraria ſunt ulceri, in eo quod ad deteriorem naturam quàm ulcus habeat in quantum ulcus diſponũt. Si ex parte eorũ quæ immediate contraria ſunt cauſis ad conſolidationem facientibus, aut quia contraria cauſæ materiali, aut quia cauſæ efficienti. Si cauſæ materiali, erit ſanguis à natura alienus ipſi ulceri, & cuilibet membro etiam pro nutrimento delegatus, qui contrariatur ſanguini laudabili, requiſito ipſi ulceri pro materia reſtituendæ bonæ carnis: & tunc cõtrariatur, quia peccans in quanto, aut in quali: ſi in quanto, aut quia ſuperfluus, aut quia diminutus: ſi in quali, & tunc iſtud erit, quia peccans in complexione uidelicet calida, frigida, humida ſiue ſicca, ſimplici uel compoſita, cum materia, uel ſine materia. Si uero cauſæ efficienti, erit ſimiliter ea complexio quæ contrariatur complexioni naturali ulcerati loci tanquã cauſæ efficienti, & ſic contrariatur quia nimis calida ſiue frigida, humida ſiue ſicca, ſimplex uel compoſita, materialis uel ſine materia. Si ex parte eorum quæ ulceri contraria ſunt in eo quod ad deteriorẽ diſponant naturam quàm ulcus habeat, aut ulceri contraria prout accidentia, aut prout ægritudines: ſi prout accidentia, accidentia erunt hæc, uidelicet dolor, fluxus ſanguinis: ſi prout ægritudines, ægritudines erunt apoſtema, oſtracatio carnis, ſuperadditio carnis, caro mollis, ſerpigo, corroſio, putrefactio, quæ de ſe ſunt ægritudines loco ulcerato ſuperuenientes. Et hæc ſint dicta de impedimẽtis ex parte annexorũ, quæ ſunt in genere duo, uti diximus, uidelicet impedientia contraria cauſis efficientibus, uel materialibus conſolidationis, aut impedientia contraria ulceri tanquam accidentia, aut tanquam ægritudi-

nes. Quæ igitur, & quot ſint impedientia ulceris conſolidationem, dictum eſt.

*Quonam modo præfata conſolidationē impediunt.* Caput III.

ENumeratis his quæ conſolidationem impediunt, nunc diuerſi ſunt docendi modi, quibus talia impedimenta impediunt. Dico igitur in primis, quod figura fiſtularis, & quæcunque alia tali figuræ proportionata, conſolidationi reſiſtunt, eo quia ex ipſis cōſequitur indebita tranſpiratio ſaniei in ulcere cōgeſtæ, quæ poſtea in eo ulcere plus quàm debeat moram contrahens, nitroſitatem & uenenoſitatem adipiſcitur, quæ ex parietum ulceris cōtractu, in eo maiorem concauitatem generat, & membrū debilitat, ad quod ſuperfluitates totius corporis tranſmittūtur. Saniei uero ſubſtantia conſolidationem impedit, quia ſubtilitas eius fluida, membri ulcerati ſubſtantiam corrigendo, nimis eam humectat & remollit, & ſic putrefactioni diſponit, quum ea quæ putrefiunt, molliora prius reddātur & laxa. Groſſities uero ſiue uiſcoſitas poris membrorum adhærens, membrum putrefacit & corrumpit: quod enim à putrido tangitur, putrefit. Saniei uero qualitas acuta, & corrodens, tam per ſe, quàm per accidens, cōſolidationem ulcerū retardat, cum humiditate membri, qua mediante fit partiū continuatio, reſoluat & conſumat. Sanguis autem peccans in quanto conſolidationem impedit, ſuperfluus calorem membri ſuffocat naturalē. Diminutus uero, defectū ponit nutrimenti, unde fruſtratur natura pro generanda carne. At ſi fuerit peccans in complexione, ſiue ſimplici, ſiue cōpoſita, ſiue materiali, ſiue ſine materia, tunc impedit cōſolidationem, uirtutes naturales membri offendendo diminutè, ablatè, ſiue corruptè. Quum enim membri cōplexio ab aliquo offenditur, neceſſe eſt aliquā, uel aliquas, & fortè omnes uirtutes naturales deijci, aut diminui, uel corrumpi, cum ipſa complexio ſit harum uirtutum famula, ſiue miniſtra. Mala loci ulcerati complexio tam calida quàm frigida,

gida, humida ſiue ſicca, ſimplex uel cõpoſita, materialis uel immaterialis cõſolidationi obſtat, naturalẽ deijciẽs complexionem, qua ſicuti inſtrumẽto natura utitur ad nutrimenti conuerſionem in membrorũ ſubſtantiam, & rei ſuperfluæ & nociuæ expulſionem. Si impedientia conſolidationem fuerint accidentia ſuperuenientia ulceri, de quibus unũ eſt ſuperfluus fluxus ſanguinis, tunc inanitione materia carnis reſtaurandæ, & ſpiritus neceſſitas ſubtrahitur, unde conſolidatio aufertur. Dolor autem uirtutem totius corporis & membri patientis proſternit, & humorum defluxum ad locum efficit, quare conſolidatio deficit neceſſariò. Apoſtema etiam, quod eſt ægritudo una ex tribus morborum generibus compoſita, uidelicet mala complexione, mala compoſitione, & ſolutione continui: multo magis credendum, quod obuiet cõſolidationi, cum plures ægritudines magis naturã moleſtẽt, quàm una ægritudo. Carnis oſtracatio conſolidationem prohibet, ex eo quod talis oſtracatæ carnis poroſitates ſunt compactæ & conſtrictæ ualde, unde ineptæ ſunt tranſitu materiæ proportionatæ carni generandæ, & cõſolidationis perficiendæ. Carnis ſimiliter ſuperadditio curationi oppugnat, tanquã quid ſuperfluum in corpore extra naturam artificio auferendum. Caro autem mollis, corroſio, & putrefactio conſolidationẽ impediunt, cum materia pro carne delegata à carnis mollitie alteretur, & à corroſione & putrefactione forma ſubſtãtialis membri corrumpatur & deſtruatur. Et hæc ſatis ſint dicta de diuerſis modis, quibus præfata impedientia curationẽ ulcerum impediunt.

*De ſignis eorum quæ conſolidationẽ impediunt.* *Caput* IIII.

ASſignatis ſpeciebus, & declaratis modis quibus conſolidatio impediatur, ſubſequenter ponenda ſunt eorum ſigna. At quia conſolidationem impedientium nonnulla ſunt ſenſibus apparentia, itaque ſignis non indigeant, ſicuti ſanies ſubtilis, fluida, ſimiliter ſanies groſſa, uiſcoſa, fluxus ſanguinis, dolor, apoſtema

ſiue inflatio, caro mollis, caro ſuperflua, & ſimilia. Alia uero occulta & ſenſibus immaniſeſta, ita quod ſignis indigent ea ſigniſicãtibus, ut fiſtularis ulcerũ figura, & ſimiliter quæcunq; alia figuræ fiſtulari proportionata, ſaniei qualitas locum ulceratũ inficiens, mala complexio, ſanguis à natura alienus, corroſio, putrefactio: ideo condigne mihi uiſum eſt hoc in loco tantũ eorũ ſigna tradere, quæ occulta ſenſibus, & immaniſeſta ſunt. Dicam igitur, quod figura fiſtularis, cuius proprietas eſt habere orificium ſtrictum, & fundum profundum, abſconſum, & cauernoſum, & ſimiliter quæcunq; alia figura huic proportionata, denotantur per ſubtilem inquiſitionem cum tentis & probis de argento, de plumbo, de radicibus, de cereis candelis, ſeu coloratis iniectionibus. Saniei uero qualitas acuta & corroſiua per ſe comprehenditur ex his: nam color eius tendit ad colorem rubeum ſiue citrinum, uiridem, ſiue nigrum. In ea quæ per accidens, & in ea quæ etiam per ſe, ſentitur arſura, & compunctio, rubor, & inflammatio ulceris, & partium ei adiacentiũ: ex qua cõtingit, quod quicquid ab ea de ſubſtantiali forma membri occupetur, deſtruatur & corrumpat, adeò tam naturæ malignãtis exiſtit. Sanguis à natura alienus peccans in quãto quia ſuperfluus, cognoſcitur ex patientis carnoſa & robuſta habitudine, uenarũ totius ſui corporis inflatione, ſeu repletione ſaniei ab eo ulcere ſanguinolentæ emanatione. Si uero diminutus, ita quod non defluit ad ulcus materia, ex qua caro generetur in eo ulcere, tunc ex oppoſito cognoſcitur, uidelicet macilenta, ſeu extenuata patiẽtis habitudine, uenarum totius ſui corporis inanitione, ſaniei ab eo ulcere quàm ulcus requirat diminuta reſudatione. Si in quali, quia peccans in cõplexione calida, tunc ſignificatur ex colore corporis, & faciei, & oculorũ, uergente ad nimiam citrinitatem ſiue uiriditatem, habitudine ſicca, & extenuata, ſanie colorata, colore citrino, ſiue uiridi. Et ſi peccans fuerit in caliditate nimis ſuperflua,

flua, præfata ſigna erunt uergentia ad fuſcedinem & nigredinem. Si uero peccans fuerit in complexione frigida, cognoſcitur diſcoloratione faciei & labiorum, ſanie cum ſubſtantia groſſa uiſcoſa, ſeu cum ſubſtãtia ſubtili aquoſa, habitudine phlegmatica, phlegmatis abundantia. Si in complexione humida, indicatur ex colore corporis tendente ad albedinẽ, ſanie ſubtili aquoſa, tumore faciei & oculorum, frequẽti abundantia ſaliuæ. Si in complexione ſicca, demõſtratur ex colore corporis uergente ad nigredinem, ſiue ſubnigredinem, oculorum liuiditate, habitudine ſicca, ſanie nigra, cinerulenta, lutoſa. Mala autem loci ulcerati complexio calida demonſtratur per ruborem, & per inflammationem, & per caliditatem extraneam ulcerati loci, partiumq; ei adiacentium, & per reſudationẽ ab eo ulcere ſaniei, rubeo, ſiue citrino, uiridi, ſiue nigro colore coloratæ. Frigida ſimiliter complexio manifeſtatur membri & ulceris liuiditate, ſubalbedine, mollificatione, lociq; frigiditate, quo ad tactum & patientis ſenſum, ſaniei groſſæ, & uiſcoſæ, & indigeſtæ, ſeu ſubtilis cum ſubſtantia aquoſa reſudatione, priuatæ tamen omni mordicatione & incẽdio. Humidæ uero diſcraſiæ & exuberantis ſigna ſumuntur ex his, quoniam caro in tali ulcere, ad humidum ſuperfluũ diſcraſiato, tendit ad laxitudinẽ & mollitiem: quare eſt facta ſqualida, mollis, & ab ea multa humiditas ſanioſa redundat. Siccam autem complexionem demonſtrant loci ulcerati ſiccitas, durities, & aſperitas, ſaniei ſubtilitas, interdum & paucitas, membri & labiorum ulceris gracilitas, ſiue accidat à mala cõplexione calida exiccante, ſiue priuatione ſubſtantificæ humiditatis. De putrefactione dicendum, cum alia ſit de proximo futura, alia iam facta ſit: quæ facta eſt, alia ſit perambulans & procedens, alia ſit ſic in ſuo eſſe ſtans. Signa igitur futuræ de proximo eliciãtur per alterationẽ coloris carnis, tendentis ad colorem malum, uidelicet liuidum, uiridem, ſine nigrum, & per diminutionẽ aliquam ſenſus eius.

Signa uero iam factæ, quoniam color carnis iam factus est malus, & priuatus est locus ulceratus sensu omnino, ita quod dolor non percipitur, dato quod ille locus pungatur, aut incidatur. Signa iam factæ & perambulantis à posteriori denotatur, quoniã ad partes circunstantes ipsius putrefactionis fit dilatatio. Et hæc satis dicta sint de signis eorum, quæ consolidationem impediunt.

## ANGELI BOLOGNINI DE cura ulcerum exteriorum Lib. II.

*De regulis, & modis generalibus curationis ulcerum. Caput I.*

QVænam, & quot fuerint impedimenta in ulceribus consolidandis, & quot modis consolidationem impediant, similiter & eorum signa, quibus modis appareant, ex iam dictis & pro posse ingenioli mei ac uiribus, cuicq; perscrutãti satis innotescet. Reliquũ autem est, ut accõmodata tradatur eruditio, qua unumquodq; prædictorum, ne consolidationem impediat, prohiberi potest. Hoc autem est curam ulcerũ docere, & hoc primo in generali, & sub quadam summa, deinde in particulari magis. Pro qua eruditione dicendum, quod tale consolidationis impedimentũ prohiberi potest triplici artis medicæ artificio, uidelicet diæta, potione, & chirurgia. Diæta, cibando ægrum cibis, qui substantia, quantitate, & qualitate opponantur illis, quæ cõsolidationẽ impediunt. Potione uero totius corporis plenitudinẽ euacuante, materiam antecedentem eorum quæ cõsolidationem impediunt digerente, complexionem totius corporis rectificante, si mala fuerit, hepatis maxime, membrorumq; hepati deseruientium, ut sanguinem laudabilem in quanto & quali generet. Chirurgia seu manualis operatio in generali uniuscuiusq; eorum quæ consolidationem impediunt, subministretur in hunc modum. Et primo si fuerit in causa figura fistularis, annihiletur, seu destruatur:

et si

et si non est possibile, tunc sanies in eo ulcere congesta, merito figuræ ipsius ulceris expulsioni rebellis, antequã nitrositatẽ adipiscat aliquo ingenio ad exteriora ipsius ulceris educatur. Si substãtia saniei subtilis fuerit humectans, & remolliens membri substantiam, & cõsequenter eam putrefactioni disponens, exiccatiuis, in gradu proportionato, quæ putrefactioni resistunt, & humiditatem illam extraneam consumunt, curetur. Si uero fuerit substãtia saniei grossæ uiscosæ, orificijs pororum carnis sui uiscositate adhærens, & sic membri substantiã putrefaciens, medicinis quæ ipsam saniem attenuãt & dissoluunt, & consequenter eius grossitiem & uiscositatem destruunt, ab orificijs pororum carnis elongetur. Si autem qualitas saniei acuta & corrodens, medicinis acuitatẽ ipsius saniei refringẽtibus corrigatur, necnon saniei antecedens materia ad oppositas partes distrahatur. Si in causa fuerit sanguis peccans solo quanto, quia superfluus, plenitudo sanguinis minoretur. Si peccans fuerit in quanto, quia diminutus, nutrimentum quantulumcunq; sit, loco ulcerato attrahatur. Si peccãs fuerit in quali, quia in complexione, quæcunq; sit illa contrarijs rectificetur. Si superfluus fluxus sanguinis, loco à quo sanguis fluit reparetur, & ad oppositas partes distrahatur. Si dolor, membri calor naturalis cõfortetur, seu doloris causa abijciatur. Si in causa fuerit caro mollis, humidum ipsius extraneũ exiccetur. Si caro superflua, amputetur. Si caro ostracata, cum eo quod lenit & resoluit, resoluatur: & si resolutioni repugnat, abscindatur. Si apostema, fluens materia repellatur, & fluxa resoluatur, & si indigeat, resolutioni præparet. Si in causa fuerit corrosio, materia antecedens diuertatur, & fluxa, & similiter loci malitia iam à materia coniuncta impressa consumetur. Si putrefactio quæ iam facta est, corruptum & putrefactũ abscindatur. Si uero est de proximo futura, ne omnes gradus ad putrefactionem requisitos acquirat, prohibeatur. Si autem perambulans fue-

rit putridum remoueatur, & ſubſequenter humidum extraneũ in membri ſubſtãtia impreſſum, merito cuius iterum perambulatio fieret, quod tamen nõ fuit per putridi abſciſſionẽ totaliter remotum, diſſoluatur. Sint ergo hæc dicta ſatis pro documẽto curationis in genere & ſub quadam ſumma, qua unumquodq; eorum quæ in ulceribus conſolidationem impediunt, remoueri habeat. Nunc autẽ de unoquoq; in particulari dicendũ, prædicta tamen declarãdo, uidelicet quę poſtremo artis medicæ inſtrumento tantũ enumerata ſunt.

De *cura formæ ulcerum fiſtularis.* Caput II.

CVm in præhabito igitur capite dictum ſit, quod figura ulcerum fiſtularis prohibetur ne conſolidationem impediat, eam figuram fiſtularem deſtruendo & annihilando, ſeu ſaniẽ expulſioni rebellẽ merito formæ ulceris ad exteriora ipſius ulceris, antequam nitroſitatem adipiſcatur, aliquo ingenio educendo: hoc autẽ in loco dicendũ erit in particulari, qualiter, quonã modo talis figuræ deſtructio & annihilatio perficiatur: ſimiliter quæ ſint ea ingenia, ſaniem ad exteriora ulcerum cum tali forma educentia. Dicatur igitur, quod figura ulcerum fiſtularis deſtruatur, ſecundum ſe totam, aut ſecundũ aliquam ſui partem. Secundũ ſe totam deſtruatur, ſecando figurã ulceris uſq; ad eius radicẽ, ita quod nil de eius forma fiſtulari derelinquatur, niſi ubi nõ eſt poſſibile: quoniã ſi ibi adeſſent nerui, uenæ, & chordæ, tuæ ſectioni ſe interſecantes, ſeu opponentes, ſeu os, aut magna loci diſtantia, ſeu cutis groſſities, tunc & eo caſu à tali exquiſita ſectione eſſet deſiſtendũ, & ad aliã ſectionem ſeu alia ingenia deueniendum. Secundũ aliquam ſui partem figura ulcerum fiſtularis deſtruatur, illius orificium dilatando, & ampliando, ſeu portam in fundo ulceris conſtituendo. Fiat itaq; figuræ ulcerum fiſtularis ſectio ſecundum ſe totam, aut ſecundũ aliquam ſui partem cum nouacula aut cauterio: ſimiliter orificij ulceris dilatatio, & amplificatio cum eiſdem, ſeu impoſi

tione

tione tentarum raræ & ſiccæ ſubſtantiæ exiſtentium, ſicuti de melegario, de ſambuco, de ſpongia præparata, de radice ariſtolochiæ, de gentiana, & ſimilibus. Educatur utiq; ſanies ingenioſe ad ulcerum exteriora expulſioni rebellis merito figuræ ulceris, altero iſtorũ modorum, uidelicet medicinis lauantibus, & currentibus curſu, & lubricitate ſua, quam facit ablutio, ſaniem ad exteriora ulcerum educentibus, ſicuti ſunt hæc in modo ablutionis adminiſtrata, uidelicet aqua ordei, uinũ melitite, aqua maris, aqua aluminis, aqua cineris, decoctio iridis, decoctio centauriæ, cum uino non multum uinoſo. Licet etiam prædicta alio modo ſaniem ad ulcerum exteriora excutiant, & hoc eam exiccando, & abſtergendo, ſeu propulſione ipſius ſaniei ad exteriora ulceris, inſtitis mediantibus, unâ cum plumaceolis ſuper figuram fiſtularem decenter cõprimentibus, aut ea ſituatione membri, quod orificium ulceris inferius exiſtat, & fundum ſuperius. Solet præterea à quibuſdam ſanies ingenioſe ad ulcerum exteriora educi, præparatione ulceris, ita quod ab eo ulcere ſanies ad exteriora currat, & nõ retineatur, imò quod ea libere euentetur & expiret, & hoc cum tentis cannulatis de braſſica, de plumbo, de argento, & ſimilibus. Expeditis his pro cura figuræ ulcerum fiſtularis & ſimiliter cuiuſcunq; alterius figuræ fiſtulari proportionatæ, nunc ad regimen ſubſtantiæ ſaniei tranſeundum eſt.

*De cura ſaniei ſubtilis.* *Caput* III.

REgimen igit̃ humiditatis ſubtilis, ſanioſæ, remollientis ſubſtantiã partis ulceratæ, exiccatione perficitur maiori & minori, tamen ſecundũ quod à loco ulcerato fit maior & minor humiditatis ſubtilis ſanioſæ reſudatio, pro qua exiccatione optima ſunt, & ſimplicia, & compoſita, uidelicet bolus armenus, plumbum uſtum, ceruſſa, lithargyrum, antimonium, plantago, lanceola, tela aranei, galla, ariſtolochia cõbuſta, myrobalanorum genera, cortex thuris, maſtiche, mirrha, aloë, ſarcocolla,

rheubarbarũ, panis assatus, rasura panni uetustissimi, spongia combusta, symphytũ uel consolida maior, cauda equina, pix, resina, alumen, & similia. Item aqua aluminosa, aqua marina, aqua ardens, aqua azurea, unguentum de cerussa, unguentũ de minio, unguentũ de tuthia, unguentũ de plumbo, unguentũ nigrũ compositione patris mei, unguentũ citrinũ usuale, unguentũ de lino, unguentũ irinũ, unguentũ de calce, unguentũ de pulueribus. Vnguentũ bonũ pro sanie subtili exiccanda: R. unguenti de lithargyro, unguenti de cerussa, ana unc. i. s. ceræ albæ unc. s. misce, dissolutis primo cera, & unguento de cerussa, & ultimo unguẽto de lithargyro. Aliud: R. cerussæ lotę drac. vij. lithargyri drac. iij. scoriæ argenti, uel climiæ drach. ij. uitreoli drach. i. s. ceræ albæ unc. ij. s. olei ro. unc. vi. terebinthinæ unc. ij. fiat unguentũ. Aliud: R. lithargyri bene pulueriza ti cum aceto & oleo ros. misceatur, & imbibatur in mortario plumbeo, & bene agitetur cum pistillo suo, donec ad augmentationem deueniat, & albificetur: deinde R. antimonij, æris usti, balaustiorum, uermium terrestrium exiccatorum & pulueriza torum, gallarum, sanguinis draconis, aluminis, climiæ argenti, ana omnium, terantur, & cribrentur, & de eis quantum est sexta pars unguenti, in mortario ponantur, & cum pistillo incorporentur, donec bene uniantur ad inuicẽ. Aliud: R. terebinthinæ, ceræ, resinæ, ana, unc. iij. olei rosati uel communis unc. iiij. pulueris aristolochiæ rot. myrrhæ, olibani, aloës, mastiches, ana drarh. ij. s. pulueriza tis pulueri zandis fiat unguentum. Aliud: R. unguenti basiliconis, unguenti de tuthia, unguẽti de calce, ana ʒ. i. misce, & alia plura tam simplicia quàm cõposita, quæ in libris antiquorum facile est reperire.

De *cura saniei grossæ & uiscosæ.* Caput IIII.

SAniei uero grossæ, & uiscosæ, orificijs pororũ carnis sui uiscositate inhærentis, & sic membri substantiam putrefacientis, regimen complicatur applicatione

tione localium, quæ sui subtilitate substantiæ in ipsam saniem penetrant, & suo calore eam attenuant, & dissoluũt: unde destructa eius grossitie & uiscositate, prohibetur ipsius saniei orificijs pororũ carnis adhærentia, qua membri substantia corrumpebatur: quæ similiter saniei grossæ & uiscosæ attenuatio & dissolutio intendatur & remittatur secundũ diuersitatem quantitatis saniei subtiliandæ, & similiter secundũ diuersitatẽ saniei peccantis in grossitie & uiscositate maiori & minori: de quibus optima sunt farina ordei, fabarũ, cicerum, orobi, lupinorũ, alkanna, aristolochia, hypericon, acetum, cinis anethi, fermentum, crocus, laurus, iris, uel ireos, centaurium, gentiana, absinthiũ, apium, baurach, mel, & omnes medicinæ habentes aliqualem amaritudinẽ, uel acuitatẽ, quæ semper cum melle præparentur. Item aqua lactis, aqua ordei, aqua mellis, aqua cineris, uinũ melitite, mundificatiuum de melle, unguentũ uiride, herbarum totius communitatis, mundificatiuum commune, mundificatiuũ de iride uel ireos, mundificatiuũ de apio, unguentũ de centaurio. Vnguentũ pro sanie grossa attenuanda bonũ: ℞. mellis rosati, terebinthinæ nõ lotæ, ana ℥.ij. thuris, myrrhæ, ana ʒ.iij. misce. Aliud: ℞. mellis, terebinthinæ non lotæ, ana ℥.ij. coquantur ad spissitudinem aliqualem, deinde adde myrrhæ, sarcocollæ, aloës, iridis, ana ʒ.i.s. Aliud: ℞. terebinthinæ claræ ℥.vi. mellis rosati col. ℥.iiij.s. myrrhæ, iridis, aristolochiæ longæ, ana ʒ.iiij. farinæ ordei q.s. ad inspissandum, dissoluta prius terebinthina cum melle, & ultimo additis pulueribus, fiat unguentum. Aliud: ℞. iridis, aristolochiæ, ana ʒ.iij. terãtur optime, & misceant tanta quantitate mellis, quod ea conglutinet, & in formã unguẽti adducat. In maiori grossitie & uiscositate, ℞. mellis ℥.ij. uiridis æris ʒ.v. misce. Item aliud: ℞. fecis olei ro. aceti puri, mellis, ana ℥.i. aristolochiæ lõgæ, aluminis scissi, iridis, cerussæ, ana ʒ.i.s. uiridis æris ʒ.ij. misce omnia adinuicẽ. Valet præterea unguentũ græcum maius, unguentũ ægyptiacum.

*De cura qualitatis saniei acutæ & corrodentis. Cap. V.*

REgimen curatiuum qualitatis saniei acutæ & corrodentis tam per se quàm per accidẽs, quæ humiditatem membri, qua mediante si membri partium continuatio, resoluit & cõsumit, perficiatur, præhabito conuenienti regimine in sex rebus non naturalibus, præhabitaq; euacuatione materiarum peccantium, & defluentium diuersione, & similiter constrictione uiarum & ductuum, per quæ talis materia posset deferri & deflui ad locum ulceratum. Si fuerit qualitas acuta & corrodens per se, unguento de ceruſſa, albo unguento de lithargyro, unguento rubeo camphorato, unguento de bolo, unguẽto de tuthia, unguẽto de ceruſſa cocto. Vnguentũ bonum pro cura qualitatis saniei acutæ & corrodentis: R. tuthiæ lotæ, ceruſſæ lotæ, ana partes æquales, puluerizentur, & in mortario plumbeo cum aqua plantaginis, cum pistillo suo diu ducantur, addita terra sigillata, & aliquanto boli armeni, & cum cera sufficienti & oleo rosato fiat unguentum. Aliud: R. lithargyri drach. viij. in mortario cum aceto tandiu ducatur, donec infletur, tumescat & albescat, & cum drach. iij. ceruſſæ, & drach. ij. terræ sigillatæ, puluerís gallarũ, rosarum, ana drach. i. cum oleo rosato & cera fiat unguentum. Aliud: R. gallarũ, arnoglossæ siccæ, ana drach. v. olei rosati unc. v. ceræ albæ unc. ij. terebinthinæ unc. ij. misce, & fiat unguentum in bona forma. Si autem fuerit saniei qualitas acuta & corrodens per accidẽs, abscindatur cura, quæ est cura causæ, utputa, si fuerit in causa figura ulcerum fistularis, ad quam sequitur indebita transpiratio saniei, quæ diutius in loco detenta, adepta est nitrositatẽ & acuitatẽ, tunc curetur curatione data cap. ij. partis huius nostræ practicæ. Et hæc de cura qualitatis saniei acutæ & corrodentis, tam per se quàm per accidens dicta sint. Nunc uero ad curationẽ eorũ quæ immediate contrariantur causis ad consolidationem facientibus dicendum esse uidetur.

De

De cura ſanguinis peccantis. Caput VI.

SAnguis autem peccans dicitur, ut ſuprà habitum eſt, aut quia peccans in quanto, aut in quali: & ſi in quanto, aut quia ſuperfluus, aut quia diminutus: & ſi in quali, aut quia peccans in cõplexione, uidelicet calida, frigida, humida ſiue ſicca, ſimplici uel cõpoſita, cum materia uel ſine materia. Si igitur ſanguis peccans fuerit in quanto quia ſuperfluus, cura perficiatur diæta tenui, phlebotomia ſanguinis minoratiua, & extractione ſanguinis peccantis in quanto ab ulcere & eius circuitu ſanguiſugis, ſcarificatione, & ſimilibus. Si ſanguis peccans fuerit in quanto quia diminutus, curatio compleatur diæta lata & groſſa, boni & multi chymi generatiua, trahaturq; nutrimentũ ad locum ulceratum frictionibus, fomentationibus maluæ, biſmaluæ, uiolarũ, donec membrũ infletur & rubeſcat: piceis emplaſtris, quorum forma una erit hæc: R. picis naualis, picis græcæ, reſinæ pini, ana partes æquales, diſſoluantur in cazola ad ignem, deinde per ſtamen in aqua frigida colentur, & manibus inunctis oleo emplaſtrum malaxetur, & uſui reſeruetur. Si ſanguis peccans fuerit in quali, quia in complexione calida materiali, euacuetur materia calida: ſi fuerit ſubtilis, cum rheubarbaro, myrobalanis, prunis tamarindis, pulpa caſſiæ, aqua pomorũ granatorũ, manna, & ſi neceſſe fuerit cum electuarijs de ſucco roſ. de pſyllio Meſue, de prunis, de ſebeſten. Si autem fuerit groſſa per aduſtionẽ, cum electuario leniti uo diacathol. cõfectione Hamech, diaſena, caſſia uigorata cum ſena, pilulis Indis, pilulis de fumoterræ, aqua lactis, ſena, & ſimilibus: hoc ſemper attendendo, quod ante euacuationẽ materia calida ſubtilis digeratur cum ſyrupo roſato, de endiuia, acetoſo ſimplici, oxyſacchara, nenupharino, uiolato, cum aquis endiuiæ, uiolarũ, acetoſæ, ordei, hepaticæ, plãtaginis, cucurbitæ, portulacæ, nenupharis, ſolatri, & ſimilium. Materia autem groſſa per aduſtionem cum ſyrupo de pomis, de bugloſſa, de

lupulis, iuleb uiolato, & alijs talibus. Notando tamen quod ſemper uitæ regimen in cibo & potu, & alijs rebus non naturalibus, ſit proportionatum peccato in his & in alijs. Et ſi fortè in his affuerit febris, tanto magis prædicta augeantur in gradu frigiditatis, aut minuantur, quãto febris fuerit ualidior, aut remiſſior. At ſi peccans fuerit in cõplexione calida ſimplici uel compoſita ſine materia, tunc alterantia ſola præfata ſine euacuatione ſibi conueniunt. Cæterum ſi peccatũ fuerit in mala complexione frigida materiali, tunc materia ipſa euacuet. Si fuerit phlegmatica, cum aloë, agarico, polypodio, turbit, electuario de dactylis, electuario Indo, pilulis aggregatiuis, pilulis de agarico, pilulis cochijs, diaturbit, benedicta: præparata prius materia cum ſyrupo de byſantijs cõpleto, ieleniabin, oxymelle ſimplici & compoſito, ſyrupo acetoſo cõpoſito, diarhodon & alijs, cũ aquis fœniculi, boraginis, apij, meliſſæ, maioranæ, menthæ, abſinthij, aqua mellis, & ſimilibus: quæ quidẽ alterantia & ſimilia conferunt etiam in mala complexione frigida ſine materia, exceptis euacuatiuis. Si peccans autem fuerit in cõplexione humida materiali, curetur cura prædicta immediate: & ſi peccans fuerit in complexione humida ſine materia, ſola digerentia cõueniunt, euacuatione excepta. At ſi peccans fuerit in cõplexione ſicca materiali, cura erit per euacuationem materiæ melancholicæ nõ aduſtæ, cum rectificatione membrorum illam generantiũ. Et ſi immaterialis fuerit, cura eſt cum calidis & humidis. Et hæc pauca de cura ſanguinis peccantis dicta ſint: nunc ad curam malæ cõplexionis partis ulceratæ tranſeundum eſt.

*De cura malæ complexionis partis ulceratæ.* *Caput* VII.

PRo cura igitur malæ complexionis partis ulceratæ dicatur, quod ſi in parte ulcerata peccauerit mala complexio calida, ſiue materialis, ſiue immaterialis fuerit, localibus curetur, unguento uidelicet de ceruſſa, albo unguento de tuthia, unguento de plumbo, aqua ro

ſata,

ſata, ſucco plantaginis, ſucco ſolani, ſucco de ſemperuiua. Si mala complexio frigida, unguento baſilicone, unguento citrino uſuali, unguento de dialthæa compoſitione patris mei, unguento fuſco, lotione uini boni tepidi, aqua cineris, aqua aluminis. Si mala complexio humida, curetur exiccatiuis iam dictis, & alijs uigoratis in ſiccitate, ſecundũ quod locus ulceratus magis & minus abundat humiditatibus, & ſimiliter ſecundũ diuerſitatẽ corporum & membrorum, in quibus exiſtunt ulcera, ſicuti unguento uiridi herbarum, unguento gratia dei, unguento de diapalma, unguento de dialthęa compoſitione noſtra, ſeu cum hoc, quod ſumme ualet in omni membrorũ complexione: R. olibani, maſtiches, aloës, ana ʒ.ij. picis græcæ ℥.i.s. ariſtolochiæ longæ combuſtæ ʒ.i.s. olei roſati ℥.iij. terebinthinæ, ceræ, ana ℥.ij. fiat unguentum. Aliud: R. olibani, maſtiches, aloës, ſarcocollæ, ſanguinis draconis, boli armeni, pulueris molẽdini, omnia puluerizentur ſubtiliter, & per pannum ſubtiliter cribra, & cũ terebinthina miſce, donec ad ſubſtantiam denſam deueniant. Aliud: R. unguenti apoſtolorum ℥.i. uiridis æris ʒ.i. miſce. Si autem peccauerit mala complexio ſicca, id eſt parũ humida, curetur unguento baſilicone, unguẽto de pice, unguẽto fuſco, unguento diaquilone nigro diſſoluto in cazola, id eſt, cochleari ferreo, cui addatur pro qualibet ℥. diaquilonis ʒ.i. pulueris roſarũ. Seu cum hoc: R. maſticis, olibani, picis græcæ, boli armeni, ana ʒ.i. ſepi arietini ℥.ij. ceræ ℥.s. olei roſati ℥.ij. miſce. Et alijs leuibus exiccatiuis, præmiſſis ſemper materierum peccantiũ euacuatione, ſi fuerit cum materia, & defluentium diuerſione, & ſimiliter conſtrictione uiarum, & ductuum, per quæ tales materiæ poſſunt deferri, & deflui ad locum ulceratum, ſiue à toto corpore plenitudinẽ habente defluant, ſiue ab aliquo membro nobili & forti, plenitudinem habente. Pro notitia ſuperiorum aduerte, quod in omni parte ulcerata propter ipſius debilitatẽ aggregatur humiditas ſuper-

flua, non ſolum per uiam paulatinæ congeſtionis, imò & aliquãdo per uiam defluxus, ſiue à toto corpore defluat, ſiue ab aliquo membro nobili & forti plenitudinẽ habente, quæ humiditas in loco aggregata, uirtutis loci debilitate putrefit, & in ſaniem cõuertitur. Et ſi talis humiditas multa, & malæ qualitatis extiterit, reddit ulcus ſemper compoſitum cum alia ægritudine, puta corroſione, ſiue putrefactione, oſtracoſitate, ſeu alia diſpoſitione, conſolidationẽ ulceris prohibẽte. Aduerte ſecundo, quod in omni mẽbro ulcerato, & maxime ubi quæritur carnis generatio & incarnatio, debemus adminiſtrare medicinas ſecundũ duplicem reſpectum, primo quidem habendo reſpectum ad complexionem corporis, & membri in quo exiſtit ulcus, ut cõplexionẽ ipſius naturalem à parte ſuæ ſimilitudinis cõſeruent. Si enim in curatione morbi, cõplexio naturalis membri & corporis non conſeruaretur, morbus non poſſet deſtrui, cum complexio naturalis membri ſit inſtrumentũ proprium, quo mediante natura membri utitur ad conuerſionem nutrimenti in membrorum ſubſtantiam, & rei ſuperfluæ & nociuæ expulſionem. Secundo, habendo reſpectum ad morbum, ut ipſum à parte ſuæ cõtrarietatis deſtruant. Poſitis his pro cura eorum, quæ contrariantur cauſis ad cõſolidationem facientibus, nunc de cura eorum quæ ulceri cõtrariantur, prout ſunt ei accidentia, dicendum eſt.

## *De cura doloris.* *Caput* VIII.

CVm doloris cura diſtinguatur penes ipſius doloris intenſum & remiſſum, necnon penes diuerſitatẽ ſuæ efficientis cauſæ, idcirco non abſq; ratione per nos dolor diſtinguetur in quietum & clamoſum. Et clamoſus in eum, cuius acumen inducias concedit, & in eum cuius acumen inducias non concedit: quorũ dolorum cauſa in parte ulcerata communiter eſſe affirmatur mala complexio, aut ſolutio cõtinui, ſeu utrunq; ſimul. Et cum ulcerata membra ſecundũ quadruplicem poſſint

labi

labi complexionẽ, ut in præhabitis dictum est: & cum cæteris etiam in efficiendo dolorem uehementiora sint caliditas & frigiditas, quia tenuis impressuræ: ideo impræsentiarum tantum modo de dolore à mala complexione calida, & similiter à mala complexione frigida contingente dicemus. Dicimus igitur, quod si doloris causa fuerit mala complexio calida, cuius tamen doloris acumen inducias concedit, præmissis uniuersalibus, ualet unguentum de lithargyro, unguentũ de cerussa album cum camphora, unguentũ de minio, unguentum de tuthia, unguentum de plumbo, unguentũ rubeum camphoratum, album oui conquassatum cum oleo rosato & lithargyro, & redacta ad formã linimenti in mortario plumbeo cum pistillo suo, quod unguentum postea bulliat lento igne in libra una succi semperuiuæ usq; ad succi consumptionẽ. Valet præterea album oui conquassatũ cum oleo rosato, emplastrũ de paruis maluis & plantagine coctis & pistatis, cum cribratura furfuris & oleo rosato, bolus armenus cum terra sigillata, oleo rosato & aceto, succus solatri, seu semperuiuæ cum aceto. Item ualet aliud hoc in casu: R. ceræ albæ ℥.iiij. olei rosati ℥.x. sandalorum alborum & rubeorum, rosarũ, myrrhæ, olibani, mastiches, ana ʒ.ij. cãphoræ ʒ.s. terebinthinæ ℥.ij.s. fiat unguentũ. Si uero doloris causa fuerit mala complexio frigida, ualet unguentum fuscum, unguentũ basilicon, unguentũ citrinum usuale. Si autem doloris causa fuerit solutio continui, cuius doloris similiter acumen inducias cõcedit, præmissis semper uniuersalibus ualent ea quæ quemcunq; dolorem indifferenter sedant. Ea autem sunt, quæ calorem membri naturalem multiplicant & confortant. Calor enim naturalis membri confortatus repugnat omni rei nocenti, uti uitellus oui, terebinthina & crocus, terebinthina cum oleo rosato, oleum abietis cum oleo rosato: hæc ad intra ulcus applicentur, cum etiam aliquali exiccatione humiditatem medicinarũ humectantiũ refrin-

gente participent, merito cuius etiam ulceri cõueniunt. Ab extra uero oleum rosatũ cum amygdalino, oleum de kyro, butyrũ recens, pinguedo recens, pulli gallinæ, anatis, porci, & similiũ, hyssopus humida, oleum de olivis maturis, fex olei, oleum rosarum, oleum uiolarum, oleum chamæmelinũ, oleum uulpinũ, mumia, oleum de sisamo, mucilago seminis lini, fœnugræci. Emplastrũ ualens in casu: R. foliorum maluarũ manip. i. s. farinæ seminis lini, fœnugræci, ana unc. s. olei chamæmelini, liliorum alborum, ana drach. vi. olei rosati unc. iij. mucilaginis althææ unc. i. s. farinæ ordei q. s. cum duobus uitellis ouorum fiat emplastrũ. Si uero doloris causa fuerit mala complexio, & solutio continui simul, cuius doloris etiam acumen inducias concedit, ex iam dictis habita est curatio. Nunquid cura compositæ ægritudinis sumitur ex curatione simplicium ægritudinum, ipsam inquam compositam componentiũ? Quare suppositis uniuersalibus, ad intra ulcus applicẽtur ea, quæ sunt uere & proprie doloris sedatiua, exiccatiuis aliqualiter, & laudabilibus cõmixta: ab extra uero extraneæ complexionis remotiua. Si tamen doloris acumen inducias nõ concedit, loco dolenti & circundolenti narcotica applicentur, ut emplastrũ satis leue de contritis foliis papaueris albi: & urgente magis dolore applicetur emplastrum uidelicet de foliis mandragoræ, emplastrũ de foliis iusquiami cum puluere chamæmeli, philoniũ etiam persicum illinitũ, theriaca recens emplastrata. Ex oleis, oleum de mandragora, oleum de papauere, oleum de nenuphare, cum opio succo hyoscyami, opium dissolutum cum lacte ouillo, seu mulieris, & similia. Et hæc de cura doloris dicta sunt. Nunc de cura superflui fluxus sanguinis dicendum esse uidetur.

*De cura superflui fluxus sanguinis.* *Caput* IX.

PRo regimine curatiuo superflui fluxus sanguinis, cum sanguis non nisi à uenis effluat, in primis est sciendum, quod diuersitas in modo sistendi sanguinẽ, non

non ſolum ſumitur penes diuerſitatem cauſæ facientis talem fluxum, ut ſi fuerit corroſio, uel putrefactio, ſeu ab extrinſeco eueniens ſolutio, uerumetiam ſecundũ quod uena à qua ſanguis egrediť eſt profunda in membro, aut ſuperficialis occulta, aut manifeſta, magna, aut parua. His præmiſſis dicatur, quod ſanguinis fluxus curationis genere duabus intentionibus perficitur, uidelicet diuerſione, & reparatione loci, à quo ſanguis fluit. Diuerſio quidem fit aliquando per ſanguinis euacuationem ad oppoſitam partem, uti per phlebotomiam, uentoſas ſcarificatas, ſanguiſugas, quæ tamen modificari debent ſecundum uirtutis & ætatis tenorem: aliquando cum præfatis abſque euacuatione, & cum ligaturis, uentoſa ſuper hepate & ſplene, quæ mirabilis eſt. Loci autem reparatio à quo ſanguis fluit, ſic completur: ut ſi fuerit in cauſa corroſio ſiue putrefactio, tũc locus à quo ſanguis fluit, cauterizetur cum ferro ignito, ſiue medicina cauterizante, & eſcharam inducente: ut cum hoc: ℞. unguenti populei drach. ij. uitrioli uſti drach. i. argenti ſublimati drac. i. s. miſce, & locus à quo ſanguis fluit tantũmodo repleatur. Siue cum hoc alio: ℞. argenti ſublimati, lapidis hematitis, uitrioli rom. lithargyri, ana, & fiat puluis; & cum albumine oui & puluere iſto licinia liniantur, & loco applicentur. Exiccatione autem cauterij fit rectificatio corroſionis, & putrefactionis: & exiccatione & corrugatione partis à qua ſanguis egreditur facta per cauterium, fit ſanguinis fluxus reſtrictio: quare nil cauterio præſtantius in cura fluxus ſanguinis euenientis à corroſione ſiue putrefactione. Si autem uena fuerit parua, manifeſta, & ſuperficialis, tunc cum acu & ſerico perforetur ſub & ſupra uenam, & ligetur uena, dummodo apoſtema ſiue dolor non contradicat: quoniam ſtante dolore ſeu apoſtemate, talis ligatio prohibẽda eſt: & in medio inciſionis ponatur medicamen habens has proprietates, uidelicet quod ſit congelans, ut ſanguinis fluentis fiat in-

groſſatio: necnon inuiſcans, ut fiat ſanguinis ſuper caput uenæ conglutinatio: & exiccans, ut fiat ſuperfluitatum defluxarum & congeſtarum conſumptio, & conſequenter ſolutæ continuitatis incarnatio, qua mediante fit uera & propria ſanguinis fluxus reſtrictio: cuius medicaminis deſcriptio talis eſt: R. thuris albiſſimi, uiſcoſi, aloës, ſanguinis draconis, boli armeni, ana partes æquales, puluerizentur ſubtiliter, & cum albo oui miſceantur, & ſtuelli ſiue licinia in eo medicamine tingantur, & in inciſione ponantur, in circuituq; ulceris & ſupra ſtuellos ponãtur ſtuppæ plures in aqua roſata, ſeu communi, & aceto madefactæ, & aliqualiter expreſſæ, & cum ligatura ſatis comprimente ligentur, dimittaturq; ulcus à quo ſanguis egreditur cum illa ligatura uſq; ad tres uel quatuor dies, quoniã ante illud tempus non putatur quod natura fecerit tantum de carne quod ſit ſufficiens ad oppilandũ uenam. Si uero uena fuerit magna, reparetur locus per impletionem corporis uenarũ, cum ſtuellis linitis in ſupradicto medicamine, ſine alijs infrà dicendis. Et ſi uena fuerit profunda, immanifeſta, magna aut parua, ſiue alterius diuerſitatis diuerſificantis curationem fluxus ſanguinis, reparetur locus ille modo iſto ſatis cõmuni huic, & alijs etiam diuerſitatibus in fluxu ſanguinis cõtingentibus, uidelicet ponendo digitum ſuper orificiũ uenæ, dummodo talis impoſitio ſit poſſibilis, & aliquantulũ tenendo donec ſanguis aliquo modo congeletur: deinde ponantur ſtuelli plures liniti in albumine oui agitato cum aliquibus ex medicinis dicendis, iam dictas proprietates habentibus, & cum ligatura decenter comprimẽte, ligentur. Medicinæ ſimplices in compoſitione medicinarum, pro reſtrictione fluxus ſanguinis facientiũ connumerantur hæ, uidelicet tela aranei, terra ſigillata, cortex thuris, pentaphyllon, plumæ gallinæ cõbuſtæ, bolus armenus, cinis raſuræ chartarum combuſtarum, coriandrum torrefactũ, cauda equina, cornuum raſura,

cinis

cinis lignorum ſtipticorum, corrigiola, omnia oſſa combuſta, puluis rheubarbari torrefacti, pilus leporis cõbuſtus, ſanguis draconis, ſpongia combuſta & puluerizata, uirga paſtoris, ſanguinaria, fuligo furni, karabe, acacia, folia ſalicis, galla cõbuſta extincta in aceto, lapis hematites, cõſolida maior, raſura panni uetuſtiſſimi, lanugo adherens corticibus caſtanearum à parte intrinſeca, thus gummoſum, aloë, gypſum, farina uolatilis molendini, amylum, uiſcus, gummi arabicũ, dragagantum, raſura corrigiarũ uel coriorum à parte intrinſeca, omnes ſpecies gummi. Ex medicinis compoſitis fluxum ſanguinis cohibentibus, prima forma erit hæc: R. pilorum leporis torrefactorum ℈.s. boli armeni ℥.i.s. ſanguinis draconis, terræ ſigillatæ, ana ʒ.i. thuris gummoſi ʒ.ij. miſce, & fiat puluis. Secunda forma, gypſum cum albumine oui & mumia. Tertia forma: R. gallarum torrefactarũ, boli armeni ʒ.s. olibani, aloës, maſtiches, ſanguinis draconis, pilorum leporis minutim inciſorum, ana ℈.i. miſce, & fiat puluis. Quarta forma compoſitorum: R. gypſi ℥.i. mumiæ, telæ aranei, caliginis furni, boli armeni, dragaganti, ana ʒ.i. miſce. Et hæc de cura accidentium conſolidationem ulcerum prohibentium ſic dicta ſufficiant. Nunc autem ad curationẽ accedamus eorũ, quæ ægritudines denominantur.

*De cura apoſtematis. Caput X.*

DE apoſtemate, quod eſt ægritudo una ex tribus morborum generibus compoſita, uidelicet mala complexione, mala compoſitione, & ſolutione cõtinui, incidentaliter præmittendũ, quod cura eius diſtinguitur ſecundũ diuerſitatem temporis ipſius apoſtematis, ſecundũ diuerſitatem materiæ apoſtematis, necnon ſecundum diuerſitatem locorum in quibus fiunt apoſtemata. Quare hoc præmiſſo, intendens hoc in loco pertractare tantũmodo de cura apoſtematis ulceri, ex defluxu humorũ contingentis, cum ſecundũ plurimum, ad ipſum ulcus conſequatur apoſtema calidum ſangui

neum, dicatur quod si tale apostema fuerit in principio, supposita diæta, cõuenienti diuersione, & humorũ pec cantiũ minoratione, & nõ prætermissa cura ulceris, curetur superponẽdo emplastrũ ex grano dulci, integro, decocto cũ uino põtico, cũ cortice suo: seu emplastrũ de malis citoneis, & piris decoctis in aqua, & uino rubeo, & postea in mortario contritis, & incorporatis cum pul uere myrti: siue emplastrũ de lentibus decoctis, & rosis contusis & incorporatis cum terebinthina & puluere corticũ granatorũ. Si aũt apostema fuerit in augmento, curetur emplastris prædictis, quibus adiungat farina fa barũ, ordei, tritici, & chamæmeli. Existẽte aũt tali aposte mate in statu, curet emplastro ex folijs absinthij, & mal uarũ, decoctis in uino dulci, & pistatis cum sapa, & cribratura furfuris. Et si apostema tendat in uiam exituræ, tunc maturatiuis appositis adiuuanda est saniatio: & de maturatiuis proprie in isto casu est emplastrũ de folijs maluarũ decoctis in aqua, & in mortario cõtritis cũ fari na sem. lini, fœnugræci, & axũgia porci recenti, & simi liter emplastrum ex farina tritici, aqua, oleo, & croco: & facta sanie perforatione saniati loci extrahatur: seu si ad orificium ulceris talis sanies declinare uideat, tunc tentis seu expressione aut ligaturis ad eum deducat. Si aũt apostema ulceri superueniẽs esset aliud à phlegmone, tunc quærat cura posita tractatu nostro de apostematibus. Et hæc satis pro nũc dicta sint de cura apostematis ulceri ex de fluxu humorum cõtingentis.

*De cura ostracatæ carnis, seu callosæ & duræ.* Cap. XI.

POsita cura apostematis, de cura ostracatæ carnis agendũ est. Curatio autẽ eius distinguitur secundũ intensum & remissum duritiei talis carnis: nam carnis ostracatæ alia est duritiei intensæ, alia remissæ. Ea igitur quæ remissa est medicinis lenientibus, in quibus sit resolutio aliqualis, curari & rectificari potest. Cæterũ car nis duritiei intensæ cura perficitur altero istorum modorum, uidelicet incisione cum nouacula, aut cauterio:

& si cauterio, aut cauterio actuali, aut potentiali, considerata primo anatomia loci, quia ubi esset timor de disruptione alicuius uenæ, seu arteriæ, & cõsimiliter de effusione sanguinis, eligenda potius esset carnis ostracatæ remotio per cauterium potentiale, quàm per incisionem cum nouacula, aut cauterio actuali: nam per cauteriũ potentiale fit remotio carnis ostracatæ, & prohibitio effusionis sanguinis, si disruptio uenæ seu arteriæ fieri contingat: & quonam modo cõsidera. Pręterea si talis caro ostracata secundũ totam eius substantiam non fuisset abscisa, applicatione incisionis siue cauterij actualis, tunc maior fiet ab ægris abominatio reiterationis cauterij actualis, & incisionis cũ nouacula, quàm potentialis: quare magis dilectũ apud me est cauterium potentiale quàm incisio, & quàm cauteriũ actuale. Medicamen per me pluries expertum, quod pro efficacissimo habui à patre meo: R. lithargyri, lapidis hematitis, uitrioli romani, ana ʒ.ij. argenti sublimati ʒ.ij.s. misce. Et pro pleniori notitia medicaminũ in casu ualentium, recurras ad ea quæ scribuntur in de amputanda carne superflua eximiæ siue miræ quãtitatis. Carnis uero duritiei remissæ curatio compleatur inferius dicendis, incipiendo primo à simplicibus, deinde gradatim procedendo ad composita. Ex simplicibus, & primo ex oleis oleum liliorum alborum, oleum amygdalarũ dulcium, oleum de lumbricis, oleum uulpinum, oleum de granis sesami, fex olei, œsipus humida ex mucilaginibus, mucilago altheæ, seminis lini, fœnugræci. Ex pinguedinibus & unctuosis, pinguedo gallinæ, anseris, uituli, bouis, cerui, & proprie medullæ eorum, & adeps hirci & asini, & rapacium, scilicet leonis, ursi, leopardi, lupi, uulpis, & rapacium ex auibus, scilicet aquilæ, uulturis, & similium: & meliora earum sunt, quæ sunt minoris antiquitatis, & exiccationis, & uehementioris humiditatis. Ex compositis præparatis, unguentũ basilicon, unguentum diaquilon album cum gummis, & sine gum-

mis, unguentum de medulla cruris uituli, unguentum mollitiuum, unguentum de mucilaginibus, hyſſopi cerotum, emplaſtrum bonum pro remittenda duritie carnis oſtracatæ duritiei remiſſæ, de farinis ſeminis lini, fœnugræci, cæpis lilij, pinguedine gallinæ, porci, ſine ſale, hyſſopo humida, oleo lilij, chamæmeli, & medulla uituli. Aliud: R. medullæ cruris uaccini, olei roſati, omphacini, ceræ parũ, miſce. Aliud: R. medullæ cruris uituli, mucilaginis, ſeminis citoniorũ, dragagãti, olei amygdalarum dulcium, cum cera & modico terebinthinæ fiat unguentum. Aliud: R. œſipi humidæ, adipis anatis, gallinæ, cerui, mellis, ana, ceræ q. ſ. Aliud: R. caput unum caſtrati ſemicontritũ, & in uino dulci decoquatur uſqꝫ ad carnis diſſolutionem, & quod ſupernatauerit collige, & uſui reſerua. Aliud: R. medullam cruris equi bullitã in uino albo dulci, ut ſuprà de capite caſtrati, collige & reſerua. Aliud: R. unguẽti de ceruſſa, medullæ cruris uaccæ, adipis anatis, gallinæ, ana.

*De cura carnis mollis.* *Caput* XII.

POſtquam de curatione oſtracatæ carnis eloquuti fuimus, nunc de cura carnis mollis dicendum erit. Dicimus igitur, quod cum mollities carnis cõſequatur ad malam membri ulcerati complexionem, ſeu ſanguinis delegati malitiam, aut ulceris inſufficientem mundificationem, quod pro eius curatione, ſi fuerit in cauſa mala complexio, corrigatur medicinis deſcriptis capite ſeptimo huius partis noſtræ practicæ. Si delegati ſanguinis malitia, caſtigetur aſſignatis cap. vi. Si ulceris inſufficiens mundificatio, mundificetur antidotis quæ humiditatem extraneam, ad quam mollitio carnis conſequitur, exiccant & conſumunt, poſitis capite tertio & quarto, & tertiodecimo, in de amputanda carne ſuperflua quantitatis paucæ, huic artificioſe ſuppoſito: nam ad carnis mollitiem, niſi prohibeatur, carnis ſuperadditio conſequitur.

De

*De cura carnis superadditæ atque superfluæ. Caput XIII.*

SIcuti carnis creatio, & ulceris consolidatio actione naturæ fiunt, ita & per oppositũ amputatio, & carnis superfluæ diminutio, de qua ad præsens agit sermo noster, nõ fit actione naturæ, sed medicinarum applicatarum qualitate. Et ideo cum medicinæ tales sint diuersorum modorũ, quia quædam debiles, quædam fortes, quædã magis fortes, ne ex earum applicatione contingat error, prætermittendũ erit, quod diuersitas in applicanda medicina carnis diminutiua, sumitur penes diuersitatem quantitatis diminuendæ carnis, necnon penes diuersitatem nobilitatis, seu sensilitatis membri super quod cadit generatio carnis amputandæ, ut in dura matre, & similibus. Hoc premisso, si caro amputanda siue diminuenda fuerit quantitatis paucæ, diminuatur medicinis his satis debilibus, uidelicet alumine rochino usto, permixto cũ bolo aut sine bolo, alumine zuccharino, & hermodactylis, simul cum tartaro, nucleis dactylorum ustis, cinere cõchylium combustorũ, cinere quercus, cinere ficus, borace, nuce, cãdida sale & & melle, aqua aluminosa cum sale, aqua ardenti sola, aqua ardenti cum sulfure & sale, semine urticæ, serpentaria, unguento apostolorum. Si uero caro amputanda fuerit quantitatis notabilis, amputetur medicinis satis fortibus, uidelicet radice uel cinere uitis albæ, radice asphodelorum, uitriolo romano, uiridi æris, unguento apostolorũ fortificato cum uiridi æris, unguento ægyptiaco, unguẽtis uiridibus uigoratis cum sale gemma, aqua rosata cum uiridi æris, aqua ardenti cum uiridi æris. ut: R. aquæ ardentis ℥. ij. uiridis æris ʒ. ij. misce. Aqua mirabilis in remotione carnis superfluæ quantitatis notabilis: R. argenti sublimati ʒ. ij. aluminis rochini ʒ. v. aquæ ros. siue plantaginis ℥. vi. misce, & bulliant ad consumptionẽ quartæ partis. Si autem caro amputanda fuerit eximiæ siue miræ quantitatis, amputetur medicinis prædictis fortioribus, uidelicet trochiscis cali-

diconis, trochiſcis ex alkali, & calce non extincta, permixta cum aqua in forma luti, & redacta ad formā trochiſcorum, puluere ex alumine zuccarino, thure, & arſenico, & calce uiua, puluere ex calce uiua & melle ſimul malaxatis in modum paſtæ, & redactis ad formam magdaleonis, qui in paſta tritici reuoluatur, & in furno decoquatur aqua, per quam fit ſeparatio auri ab argento, oleo de uitriolo, aqua roſata in qua argentum fuerit ſublimatum diſſolutū, unguento ex argento ſublimato drach. ij. s. unguēto populeo drach. i. puluere ex lithargyro, lapide hematitis, uitriolo romano, argento ſublimato partibus æqualibus. Expertū per me pluries: R. aquæ roſatæ, ſucci limonum, ana ℥. ij. argenti ſublimati ʒ. iij. ceruſſæ ʒ. ij. s. miſce, & bulliant ad conſumptionē quartæ partis. Aliud expertum: R. ſalis nitri, uitrioli romani, aluminis, ana ℥. s. argēti ſublimati ʒ. s. aquæ plantaginis ℥. vi. aceti acris ℥. ij. miſce, & bulliant modo præſcripto. Item ſciendum, quod loco medicinarū hoc tertio in loco deſcriptarum, ab aliquibus laudatur carnis ſuperfluæ amputatio per cauterium actuale, à nonnullis per inciſionem, ab alijs per compoſitionem iſtorum duorum modorum ad inuicem, uidelicet cauterij actualis & inciſionis, in hunc modum, ſumptis forficibus bene & notabiliter incidentibus, & in ignem poſitis uſque ad rubrificationem earum, ſic per illos, eo inſtrumento taliter præparato, caro amputanda amputatur, poſitis nonnullis cauſticis, quibus caro ſuperaddita remoueri habeat. At pro eorum applicatione erudita, dicimus q̄d in remotione carnis ſuperfluæ utendum eſt potius medicinis à mordicatione denudatis, quàm quibuſcunq; alijs, niſi neceſſitate ductus, in qua neceſſitate adhuc meliores erunt & laudabiliores illæ, quæ erunt minoris mordicationis. Pręterea notandum etiam, quod quum remotiua carnis ſuperfluæ mordicantia applicantur, linitio facta circumcirca membrū in parte ſana cum unguento defenſiuo cōmuni ſolo, ſeu unguento populeo

ſecum

ſecum admixto, aut ſuccis frigidis, ut plãtaginis, ſolatri, ſemperuiuæ, & his ſimilibus, multũ iuuatiua eſt. Ex dictis iam clare demonſtratum eſt, quis ſit modus carnis ſuperfluæ curatiuus. Nunc autẽ ad curã ſerpiginis ſiue pruriginis accedamus.

*De cura ſerpiginis ſeu pruriginis, in circuitu ulceris contingentis.* Caput XIIII.

CVm non raro contingat partes ulcerũ circumadiacentes ſuperficialiter ulcerari multis & paruis ulceribus, ſituſq; inordinati, cum earum partium punctione & arſura, ex quibus ulceris conſolidatio difficultatem conſequitur: ideo priuſquam modus curatiuus prænominatæ diſpoſitionis explicetur, duo erunt præmittẽda: & primũ, quod talis diſpoſitionis cauſa poteſt eſſe intrinſeca, aut extrinſeca. Intrinſeca ſecundum plurimum, ſanies ab ulcere reſudans acuta, mordicatiua, cuius ſaniei materia dicitur cholera aduſta, ſeu phlegma ſubtile cholerę aduſtæ admixtũ, locum ulceratum & partes adiacentes inundans, & eas contingendo ſui acuitate ſuperficialiter ulcerans. Extrinſeca uero cauſa, uti calefacientium appropinquatio magis, quàm diſpoſitio ulceroſa & membri natura requirant, humores in loco contentos diſſoluentium & acuentiũ, necnon antecedentem materiam ad locum attrahentium. Secundo præmittendũ, quod poſita hac diſpoſitione duo ad inuicem cõiunguntur, quorũ quodlibet neceſſariò trahit ad ſe curam, uidelicet mala complexio calida, & ſuperficialis ulceratio. Diſpoſitioni igitur huic ſuccurrendum diæta, cauendo à ſalſis, & ab acutis, & potione materiam peccantem euacuante, & hoc maxime ſi cauſa fuerit intrinſeca. Item ſuccurrendum in recenti ſerpigine localibus alterantibus malã complexionẽ calidam, & exiccantibus ſaniem ſubtilem ab ulcere ſuperficiali reſudantem, & ſecundum quod trahit ad ſe curam magis una paſſio iam dictarum quàm altera, ſic compoſitũ antidotum in exiccatione prædominetur, ſeu in altera-

tione malæ complexionis calidæ, ſecundum prædominium unius iſtarum diſpoſitionũ ſuper alteram. Et quia accommodata ſiccitas ad curationem ulcerum non ſemper requiſita ſtat cum frigido, quare nimirum calida cum frigidis in aliquibus dicendis admiſcemus, imò in tali diſpoſitione conſequitur multotiens ex applicatione pure infrigidantiũ, humoris conſtipatio, ſuæq; malæ caliditatis cõcentratio, quæ poſtea eſt cauſa deterioris malignitatis ipſius morbi: de quorum alteratiuorum & exiccantiũ in recenti ſerpigine eſt linimentũ ex lithargyro, ceruſſa lota, oleo roſato cum aceto forti, confectum in mortario plumbeo cum piſtillo ſuo. Item unguentum album cum aceto acri. Item aliud: R. radicum lapathi, chelydoniæ recentũ, ana unc. i. aluminis uſti, ſalis communis, ana drach. ij. s. cum axungia porci rancida & ſalita, & ſucco plantaginis, fiat linimentũ in mortario contritis conterendis. Certa autem experientia ſcio etiam iſta in caſu ualere, quorum aliqua iuuatiua ſunt ſui exiccatione, alia exiccatione & ſtipticitate ſimul, uidelicet oleum de tartaro, oleum de frumẽto, oleum de uitellis ouorum, aqua maris, decoctio acetoſæ, aqua fabrorum in qua ferrum extinguitur, aqua exiſtens ſub rota fabrorũ ubi acuuntur ferramenta, ſiue inſtrumenta. Vnguentũ bonum per me quotidiana experientia comprobatum, quo patiens uolis ſuis ambarũ manuũ locum ſerpiginoſum, ſiue pruriginoſum inungat, & taliter fricetur, donec unguentum ingrediatur, & imbibatur in membrorum ſubſtantiam: & quonam modo tale unguentum taliter adminiſtratum ſit ſerpiginis curatiuum conſidera: R. axungiæ ueteris unc. iij. tartari, thuris, ana unc. s. argenti uiui extincti cum ſaliua, unc. ij. ſucci abſinthij q. ſ. miſce, & fiat unguentũ in mortario abſq; igne. Item aliud: R. axũgiæ porci ℥. iiij. aceti acris ℥. ij. argẽti uiui ℥. ij. s. diſſoluat axungia ad ignẽ, & bulliat aliquantulũ cum aceto, & per pannum coletur, & in mortario diu aceto conteratur, & incorporetur:

deinde

deinde adde ultimo argentũ uiuũ cum ſaliua extinctũ, & modo præfato locus ſerpiginoſus etiam inungatur. Item aliud: R. ſepi caſtrati, medullæ bouis, ana ʒ. ij. ſucci ſaluiæ ℥. i. s. argẽti uiui ℥. ij. thuris ʒ. vi. miſce, & fiat emplaſtrũ abſq; igne, mortificato prius argento uiuo cum aceto acri. Conuenit etiam in inueterata ſerpigine pro eius cura, præhabitis uniuerſalibus, euacatio materiæ contentæ in loco per ſcarificationẽ, uẽtoſas ſcarificatas, ſanguiſugas, & per ſimilia: & dũ neceſſe fuerit, cõuenit etiã apertio uenæ reſpiciẽtis locũ tali ſerpigine infectũ, ut ſi in coxis fuerit, ſaphenæ, ſi in brachijs, ſaluatellæ: & ſic de alijs corporis partibus: deinde ad localia iam dicta deuenire. Et hæc de cura ſerpiginis ſiue pruriginis in circuitu ulceris euenientis dixiſſe ſufficiant. Quis autem ſit uerus modus corroſionis curatiuus, ex ſequenti capite quiſq; ſufficienter intelligere poterit.

*De cura corroſionis.* *Caput* XV.

COrroſio, quæ eſt diſpoſitio in qua humiditas terminans inter partes membri reſoluitur, ita quod partes membri remanent diſcontinuatæ, abſque hoc quod humiditas quæ remanet in membro ſit corrupta, cuius cauſa fortè dicit̃ cholera aduſta, quæ propter ſui acuitatem & aduſtionem fraudulentiã adipiſcitur, ſeptem his inſtrumentis curetur: quorum primum erit prohibitiuum, ne materia faciens corroſionẽ multiplicetur: ſecundum erit minoratiuum materierum corroſionis antecedentiũ: tertium erit diuerſiuum materierũ corroſionis defluentium: quartum erit eductiuum ab ulcere & à partibus ulceri proximis materiæ corrodentis: quintum erit remotiuum carnis corroſæ, in qua fortè etiam malitia corroſionis fundatur: ſextum erit alteratiuum malæ complexionis calidæ derelictæ, partim ab humore corrodente, partim à medicina cauſtica, qua mediante facta fuit remotio carnis corroſæ: ſeptimũ erit exiccatiuum ſuperfluitatũ in loco exiſtentiũ. Primum itaq; inſtrumentum perficiatur debito regimine in ſex

rebus non naturalibus, uergente ad frigidum & humi dum. Secundũ instrumentum subministretur euacuatione facta per secessum, educente choleram adustam: pro quo recurras ad caput de cura sanguinis peccantis in complexione calida nimis superflua. Tertium instrumentum cõpleatur phlebotomia partis oppositæ, eductione omni die superfluitatum primæ digestionis cum clysteri, uel suppositorio, si sponte non educerentur. Et omni alio modo diuersionis, ex uentosis, frictionibus, refrigeratione partis superioris, cum superappositione medicinarum frigidarum stypticarum, uti solani, plantaginis, materiam fluentem ingrossantium, & uias & ductus per quæ fluit materia constringentium, necnon & membrum confortantium, ut à se materiam depellat, & non recipiat. Quartum similiter instrumentum perficitur educendo materiam cum scarificatione ulceris, & partis circumadiacentis, seu applicatione sanguisugarum super membro. Quintum instrumentũ perficiatur cauterio actuali cum ferro ignito, siue potẽtiali, cum hoc: R. argenti sublimati drach. ij. s. unguenti populei, uel dialthææ (quod multum acuitatem sublimati refringit) drach. i. misce. Sextum instrumentũ unguento de minio, unguento de ceruſſa albo, unguẽto de succo solatri, unguento de tuthia, unguento rubeo camphorato, & similibus. Septimũ uero & ultimum instrumentũ compleat unguentis prędictis, siue cum hoc, & melius: R. unguenti de tuthia, unguenti de calce, ana unc. i. misce. Seu cum hoc: R. aluminis, fecis aceti, pulueris gallarum, ana partes æquales. Valet præterea sua exiccatione, repercussione, & membri confortatione, aqua plantaginis, siue uinũ mellitum, decoctionis aluminis. Posita cura corrosionis, de cura putrefactionis dicendum est.

*De cura putrefactionis.* Caput XVI.

QVum putrefactio in ulcere, quæ est corruptio substantiæ membri absq; eius dissolutione, cõsequa-

tur

tur ad corruptionē complexionis membri, ſeu ad prohibitionem aduentus ſpiritus ad membrum, ideo anteq̃ ad curationem putrefactionis accedamus, cōnumeranda erunt à quibus membri complexio corrumpitur, & ſimiliter à quib. fit prohibitio aduētus ſpiritus ad membrum. Membri complexio corrumpitur in genere ab omni eo quod ſibi cōtrariatur, quia quod corrumpitur, corrumpitur à ſuo cōtrario in ſpecie, ſicuti à ſaniei ſubſtantia, ab humoris tranſmiſſi ad ulcus malignitate & uenenoſitate, ab intenſa ab intrinſeco, ſeu ab extrinſeco euenienti caliditate, frigiditate ſeu humiditate, à uenenorum morſu, ut canis rabidi, ſcorpionis, uiperæ, & ſimilium, à uenenatæ ſagittæ, ſiue rei alterius ueneno infectæ diſruptione, ſiue punctura. Prohibitio aduentus ſpiritus ad membrum utiq̃ in genere fit ab omni eo quod in uijs tranſitus, per quos deferūtur ſpiritus, oppilationem inducit, ſicuti in ſpecie à materia incuneata, & conſtricta, ſiue per cauſam primitiuam, ſiue antecedentem, ab immoderata frigiditate, à forti & exaſperata ſtrictura, ſiue illaqueatione, à materiæ cōiunctæ exceſſiua quantitate, ſeu multitudine, à materiæ cōiunctæ groſſitie & uiſcoſitate. Aſſignatis cauſis tam in genere quàm in ſpecie putrefactionis in ulcere euenientis, tali quali modo dictum eſt, nunc autem dicendū conſequenter quod cura putrefactionis diſtinguitur ſecundum quod ea putrefactio eſt de proximo futura, aut iam facta eſt: & quæ iam facta eſt, aut ſecundum quod eſt perambulans & procedens ad partes uicinas corrumpendo per uiam corruptionis complexionis membri, aut ſecundū quod non eſt perambulans nec procedens partes uicinas corrumpēdo ſaltem pro tempore, ſed ſic in ſuo oſſe ſtans. Cura itaq̃ putrefactionis, quæ eſt de proximo futura perficiatur, ne talis putrefactio omnes gradus ad putrefactionem acquirat, ut ſi in cauſa fuerit ſaniei ſubſtantia, perficiatur antidotis deſcriptis capite iij. & iiij. huius noſtræ partis practicæ. Si in cauſa fuerit ab intrin

ſeco ſeu ab extrinſeco eueniens caliditas, cura complea tur ſucco ſolatri, ſucco plantaginis, albumine oui con= quaſſato cum aqua roſ. Si frigiditas, decoctione chamæ= meli, meliloti, & ſimilium. Si humiditas, aqua cineris, aqua aluminis, emplaſtro ex farina ordei, orobi, faba= rum, aqua cineris, aceto, & melle, & alijs exiccatiuis for tioribus fortè. Si uero fuerit in cauſa humoris malligni= tas, & uenenoſitas, ſeu rei alterius extrinſecę uenenatæ morſura, diſruptio, ſiue punctura, tunc talis malignitas & uenenoſitas eradicetur & conſumatur cauterio, ſeu ſcarificatione, appoſitione uentoſarum ſuper loco, ſu= ctione cum ore & alijs. Si materia incuneata & conſtri cta, relaxetur ſcarificatione loci, & circumuicinæ partis. Si in cauſa fuerit fortis & exaſperata ligatura, diſſoluatur, & à tali deſiſtatur. Si materiæ cõiunctæ multitudo, minoretur ſcarificatione, ſeu ſanguiſugarũ appoſitio= ne. Si uero materiæ coniunctæ uiſcoſitas & groſſities fuerit in cauſa, tunc ipſius fiat ſenſibilis diſſolutio ſcarifi= catione loci, & circumuicinæ partis. Cura uero putrefa ctionis quæ iam facta eſt, & nõ perambulans, nec pro= cedens ad partes uicinas corrumpẽdo, ſaltem pro tem= pore, ſed ſic in ſuo eſſe ſtans, cõpleatur abſciſſione pu= trefacti cum nouacula, ſeu quouis alio modo corruptũ abſcindẽte, ſumpta indicatione de profunda & ſuperfi ciali abſciſſione, ſecundũ quod talis putrefactio magis & minus in membro profundatur. Cura autem putre= factionis, quæ eſt perumbulans & procedens, in hunc modum adminiſtretur, inciſione corrupti iuxta ſanũ, accipiendo etiam de parte ſana, & conſequenter cauſti catione reſidui, cum igne: & melius: aut medicinis cau= terizantibus, ut humidum extraneum in membri ſub= ſtantia fortè derelictum, quia nõ per inciſionem & am putationem totaliter remotum, aptum partes uicinas ſanas corrumpere & inficere, cõſumatur & exiccetur: ſeu cum his, quæ in illam humiditatem extraneam ex= iccando & cõſumendo cauterio proportionãtur, ſicuti

uitriolo

uitriolo romano, calce uiua, ſeu ungento tali: R. uitrioli rubei ʒ. x. aluminis ʒ. iiij. calcis uiuæ ʒ. v. pſidiæ ʒ. v. thuris ʒ. xi. gallarum ʒ. i. s. ceræ ʒ. xl. olei ʒ. vi pinguedinis uituli ʒ. xl. incorporentur more unguenti. Idem ualet hoc aliud: R. aquæ primæ unc. x. calcis uiuæ, argenti ſublimati, aluminis, ana unc. i. miſce, & bulliant ſimul ad ignem, donec ad ſubſtantiã denſam deueniat. Item etiã unguentum ægyptiacũ, & ſimilia. Hæc itaq; de cura putrefactionis, & uniuerſaliter earum diſpoſitionum quæ in ulceribus ſuperueniunt, dicta ſint.

*De cura corruptionis oßium.* Caput XVII.

CVm ad ulcera multotiens cõſequatur oſſium corruptio, qua exiſtente ulcus in carne non poteſt ſanari, niſi prius oſſis corruptio eradicetur; ideo & rationabiliter data prius ulcerum cura, in calce huius noſtri libelli curationem corruptionis oſſium aggreſſus ſum, non diſtinguẽdo tamen putrefactionem à corroſione, cum curatio, quæ perficitur poſtremo artis medicæ inſtrumento, pro ſui maiori parte penes hæc non diuerſificetur. Dico igitur quod corruptionis oſſium curatio diſtinguitur ſecundũ quod talis corruptio eſt de proximo futura, aut iam facta eſt, & ſecundũ quod eſt in oſſe magis & minus profunda, aut magis & minus ſuperficialis, ſimiliter ſecundum diuerſitatem membrorum in quibus fundata ſunt oſſa, ut in capite, dorſo, coxendicibus, iuncturis & conſimilibus. Scita hac diuerſitate, dicendum ſecundo, quod oſſis corruptio quæ de proximo futura eſt, denotatur ex iſtorũ præſentia, uidelicet apoſtematis naturæ inobediẽtis, doloris in loco, & cum perſeuerantia infeſtantis, coloris oſſis naturalis, coloris liuidi conditiones aſſumentis, carnis ulceratæ in corruptionem tendentis, ulceris ſub imperio annui ſe ſupponentis. Oſſis corruptio quæ iam facta eſt denotat̃, quoniam ſecundũ plurimum & quaſi ſemper facta eſt oſſis denudatio à panniculo eum naturaliter cooperiente, quæ comprehenditur ex facili penetratione carnis, &

panniculi uſq; ad ipſum os, tenta plumbea ſiue argentea mediante. Item caro quæ ſuper ipſum exiſtit os facta eſt mollis, necnon ſanies ab ulcere emanans eſt cum fœtore, & facta prætenuis. Si igitur oſſis corruptio fuerit futura de proximo cureť, ne omnes gradus ad corruptionem acquirat, & hoc remotione ſuæ cauſæ facientis talem corruptionem, circa quam fiat diligens conſideratio. Si autem oſſis corruptio iam facta ſit & ſuperficialis exiſtat, eradicetur frictione ſeu ſcalptura ipſius oſſis corrupti, uſquequo peruenias ad ultimum corruptionis eius, cognita oſſis corrupti eradicatione dum eius fit frictio quod ſanguis ex eo egredit̃. Si uero corruptio profunda fuerit, abſcindatur ipſum os corruptum fricando ſeu ſcalpendo, & ſubſequenter cum cauterio actuali cauterizando, ut inde ſi quid humidi fuerit extranei, non iam ex toto per frictionem remoti, apti particulas uicinas adhuc inficere, exiccetur & conſumat̃: & ſi oſſis corruptio profunda uſque ad ſui medullam comprehẽdatur, curetur ipſum os malleo & ſcalpello, ſeu alijs inſtrumentis conuenientibus, concauando & remouendo cum ſui medulla. Si uero oſſis corruptio fuerit uniuerſalior, ita quod totum os ſit corruptũ, ſerratura totius oſſis deſtruatur. Si oſſis corruptio exiſtere uideatur in capite, dorſo, anchis ſiue iũcturis, aut membris nobilibus propinquis, annihiletur medicinis complexionem ipſius oſſis conſeruantibus, & humidũ corruptum & extraneum in oſſis corrupti ſubſtantia contentum exiccantibus & conſumentibus, ſicuti cum unguento de agarico, cuius hæc fertur eſſe deſcriptio: R. ſalis, agarici, tartari, ana, fiat puluis, & cũ melle unguentum. Siue cum hoc alio: R. ariſtolochiæ rotundæ, ireos, myrrhæ, aloës, corticis plantæ opopanacis, cambil aduſti, ſcoriæ æris, corticis pini, ana, miſce, & fiat puluis, ſeu cum melle unguentũ. Item ualet in caſu radix dragonteæ, betonica, radix peucedani puluerizata, radix uitis albæ cum uino emplaſtrata, euforbium puluerizatum,

uitriolum

uitriolum romanum, & ſimilia. A nõnullis uero fit humiditatis corruptæ in oſſis ſubſtantia cõtentæ cõſumptio & reſolutio medicinis his quæ cauterio proportionantur, uidelicet oleo feruẽti, radice aſphodelorum ignita ualde, cum uino, ſulphure ignito, aqua per quam fit ſeparatio auri ab argento. Tu tamen de membri ulcerati nobilitate, & ad membra nobilia propinquitate, & ſimiliter de prædictorum medicaminum fortiori & & debiliori potentia conſidera, ne ex eorũ applicatione in membro ulcerato cadet error. Quot igitur ſint impedientia curationẽ ulcerũ, & quibus diuerſis modis impediant, & per quæ ſigna impedientia occulta cognoſcantur, quæ ad theoricam pertinent curationis ulcerũ: ad hæc autem quæ ſint, & quot ſint ingenia auferẽtia pręfata impediẽtia, quia tria, ſcilicet potio, diæta, & chirurgia, tam generaliter in quadã ſumma, quàm particulariter circa unũquodq̃, quod ad practicam attinet, in hoc noſtro compendioſo libello qui de cura ulcerum exteriorum inſcribitur, quę eſt chirurgiæ pars, ſufficienter dictum eſt.

ANGELI BOLOG. LIBRI DE CVRA VLCERVM FINIS.

# ANGELI BOLOGNINI DE VNGVENTIS QVAE communis habet uſus practicantiũ hodiernus in ſolutæ cõtinuitatis medela, Liber.

## PRAEFATIO.

Vm in florentiſſimo Bononienſi ſtudio, à Senatu Bononienſium ſtipendio adductus fuerim, ut chirurgiæ principis lectiones non paucæ ſcholaſticorũ multitudini publice profiterer, eorũ & doctorum quidẽ maior pars ingeminatis indies precibus, ut quæ